

sta sursum ac deorsum miscendo atque perturbando. *Tertio* cogita , si jam olim vivente Augustino, Hieronymo, Ambrosio, aliisque sanctis Patribus, isti Antichristi tam scelerati, tamque audaces fuerunt, in sua impietate & tyrannide promovenda, quid postea eos verisimile est non ausos facere, cum & ipsorum improbitas, & reliquorum Christianorum religionis negligentia & inscitia , in immensum creverint ? Cogita *denique* , si in hac religionis parte isti impii seductores tantum ausi sunt, quid putas eos etiam in aliis, ut in Purgatorio, Missis, Operibus supererogationis, Indulgentiis, &c. non ausos esse facere ut modò ex religione , animarumque nostrarum æterno exitio, quam plurimum lucri habere, & maximum quæstum facere possent ?

Abeant jam Papæ cum suis Papistis & adulatoribus , qui nobis semper *Patres patres, Concilia concilia* obganniunt; & perpendant, quam sanctè vel ipsa , vel eorum majores , sanctos Patres factaque Concilia current, servent & audiant ; qui tam sanctissimæ Nicænæ Synodi decreta, ausi sunt tam pertinaciter, coram tam celebri Carthaginensi Synodo , etiam præmoniti , sceleratè falsare; & postea illam sacrosanctam Carthaginensem Synodum tam horribiliter damnare, & dicere, eam instigante diabolo contra Romanam Ecclesiam superbivisse. Sed Romanistæ , subtileshomines , bona à malis, miro de lectu, secernere norunt. Ea igitur ex Conciliis accipiunt , quæ bona sunt, non quæ mala. Quæ autem eis sunt quæso bona? Audi eorum *Gełafium* de *Concilio Chalcedonensi* disputantem. Dicit, eam Synodum non omnino accipiendum, sed tantum quæ bona in ea sunt, ut quod Eutychen damnavit; quæ verò mala , ut quod Constantinopolitano Patriarchæ primatum dederat, ea esse omnibus modis rejicienda. Sic ex hac texta Carthaginensi Synodo, multa passim in suis Decretis & Epistolis citant ; sed illam suæ tyrannidis damnationem, horribiliter impuro ore detestantur & execrantur. Ita videmus , Papis ea omnia instigante diabolo acta & facta esse, quæ ipsorum culinæ aut ambitioni non prosunt; quæ autem pro sunt, ea ex Spiritu Sancto facta & decreta esse. Sic sanè & historiæ crebro testantur , quod quamprimum aliquis Cæsar, aut alias Christianus Princeps, Paparum cupiditatibus per omnia satisfacere non voluit (ut cum non est passus vel subditos suos ab eorum quæstoribus & procuratoribus expoliari , vel aliquis Urbis statim non cessit) mox sit ab eis tanquam *Hæreticus* & *Schismaticus* proscriptus, & excommunicatus. Hæresis enim ac schisma Papæ omnem id est, quod ejus cupiditati, libidini & ambitioni adversatur.

Atquæ hic sit quartus Actus hujus Tragœdiæ. Quintus, vel jam est, cum CHRISTUS spiritu oris sui Antichristum confecit , ejusque fraudes ac idolatrias detexit atque refutavit; aut postea erit, cum cum præsentia sua in extrema die damnatum, & in tartara projectum abolebit.

Sed ne quis putet me hæc confinxisse , addam ipsa *Conciliorum & Paparum*
scri-